Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1875
Quelle:
Copyright:

tus continet Theologi cujusdam Catholici Consilium de repurganda Ecclesia, Mediisque Concordiae, quod Tituli loco ita init: *Quum plerique infoelici hoc nostro Seculo sacrosanctæ Ecclesiæ antiquitatem, maiestatem, authoritatem simul atque unitatem, tum propter certos abusus, superstitiones, et alia id genus zizania, quæ in eandem irrepsisse uix negari potest; tum etiam propter Ecclesiasticorum uitia, quę et ipsa dissimulari nequeunt, ita impugnent, extenuent, ac misere dilacerent, ut ne dum ipsimet ab eadem in grauissimum animarum suarum exitium temere recedant; sed et incautum uulgus ex eiusdem unitate in loca plane deserta seducant. Quamobrem uisum est ex multis pauca proferre, quid de hac salutifera Ecclesia, tam sacra scriptura, quam denique sacri Canones, nec non Orthodoxi Patres, atque ecclesiasticæ Historiæ passim perhibeant testenturque.* Itaque Abusus reformandos, corrigendamque Hominum sacrorum vivendi licentiam solide, docteque urget Noster, qui aut *Frid. Nausea*, aut *Ge. Wicelius*, aut *Frid. Staphylus* sit, ut jam ad *Cod.* CCCCLIX. conjectavi. Post Confessionem certe *Augustanam* et *Wirtembergensem*, quas citat, scripsit. Quae porro in votis habet, diu ante se optasse ait *Bernardum*, *Alv. Pelagium*, *Cardinalem Camerac.* Petrum videlicet de Alliaco, *Card. Cusanum*, *Nicol. de Clemangis* et *christianissimum Gersonem.*

CCCCLXXII.

Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 36. 4. haec complectitur: I. Tractatum quendam Polemicum, qui incipit: *Cum te Petre, quem mihi charissimum in Christo fratrem optarem, nisi deuia tua a uero catholico sensu in multis prohiberet doctrina, audiuissem hic tam in Arce quam domi meę coram multis astantibus de quibusdam religionis nostræ christianæ articulis satis erudite ac modeste differentem* &c. Agitur de quibusdam *Propositionibus*, quas *Petrus* iste se scripsisse *aduersus maniam et sordes Antichristi*, videlicet Pontificis Rom. in earum Titulo adfirmabat, quasque Noster magna cum moderatione, decoroque non passim obvio refellere aggreditur. Quis vero is, quis *Petrus*, quae *Arx* illa, ignorare me fateor; neque enim Tractatus, quem imperfectum destituit Librarius, plus lucis adfundit, quam *Petrum* Scripta sua *Hebraicis, Graecisque flosculis* consperfisse, ad quae Noster: *nec grece aut hebraice tibi respondebo tum quia in his non fui tantum uersatus, ut sententias dictare aut conscribere linguis illis ualeam. Inter Doctores namque Scholasticos scholastice semper et haec et huiusmodi tractare fui consuetus. — Laboraui, ut literas* 546

grecas